



IOannes ille, qui cognomento Fabri dictus erat, ex Leukürch oppido Sueuiæ natus fuit. Is cum felici ingenio esset præditus, Dominicanorum ordinem suscepit, & sese ad Academijs hinc inde cõtulit, atq; adeò in bonis studijs & sacrarum literarũ cognitione profecit, ut Theologiæ Doctor crearetur. Itaq; Constantiensis Episcopi uicarius ob uariam eruditionem cõstitutus est. Postea Ferdinando regi Romanorum à cõfessione fuit, ac tandem ob præclaram eruditionem & uitæ integritatẽ anno 1531 Viennensis Episcopus electus est. Hic multoties Luthero & eius asseclis restitit, Romanam Ecclesiã defendit, & in publicis disputationibus, ob philosophiæ & multarum artium cognitionem, palmam retulit. Itaq; hinc inde Euangelio per Germaniam repullulante, ab alijs Episcopus uocatus fuit, ut aduersarijs resisteret, & ueterem doctrinam defenderet. Quod quidem anno natiuitatis Domini millesimo quingentesimo uigesimo sexto ex unica Baudensi disputatione apud Heluetios animaduerti potuit. Id cum gnauiter faceret, Erasmus Roterodamus illum plurimùm dilexit, et eius uirtutes cunctis prædicauit. Vnde magnam apud omnes auctoritatem & existimationem nactus est. Cum hoc modo magna laude per decem annos suam Ecclesiam administrasset, anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo obiit, & honorificè apud suos sepultus fuit. Lazius lib. 2. rerum Viennensium.